



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. I. Circa Paupertatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

CAPUT I.

DE RELIGIOSORUM TENTATIONIBUS.

II. **H**orum tentationes nec parvas, nec leves esse, jam olim cognovit Eremita ille, de quo in vitis Patrum legitur, quod, cum civitatem quandam intrasset, supra portam civitatis unum duntaxat dæmonem, innumeros verò supra tectum monasterii sedentes vidit, causamque rogans à Comite Angelo intellexit, luciferum imitari morem cujusdam Imperatoris, qui, ubi locum aliquem aut populum sibi multum resistantem videt, integrum exercitum ad eum debellandum mittit: ubi verò semel devicit, unicuique præficit, qui eos in obedientia & subjectione contineat. Cum ergo sæculares plerique utpote devicti libenter voluntatem luciferi faciant, unum dæmonem iis in officio continendis sufficere; non item Religiosis, utpote qui totis viribus se orco opponant. Nihilominus tamen pleræque tentationes ad quatuor species revocari possunt, nempe ad eas, quæ ex tribus votis, & vitæ asperitate ac solitudine oriri solent; quæ proinde in hoc capite proponentur.

§. I.

Tentatio I. Circa Paupertatem.

III. **R**obertus Monachus in paupere quodam monasterio vivens, ubi & habitatio perquam incommoda, & victus tenuis, & vestitus vilis atque asper reperiuntur, grande concepit tædium loci, ideoque omnem copatum adhibet, ut ex illo ad alium commodiorem transferatur; sed quia ob vo-

tum stabilitatis advertit, se non faciliè voto suo potiturum, saltem Confessario suo tentationem hanc aperit, ab eoque remedium & solatium exposcit. Quæritur, quomodo huic tentationi sit obviandum?

Responsio.

IV. Inprimis illi finem, ob quem in Religionem intravit, considerandum proponat; an non enim propterea eam ingressus est, ut Christum pauperem sequeretur, ejusque Discipulus fieret? an non ergo sibi dictum existimare debet illud Christi Luc. c. 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus?* an non summè probro sibi ducet, si, cum Dominum & Magistrum suum advertat, pauperrimam egisse vitam, ipse in summa rerum abundantia vivere velit? an non contingeret illi, quod uni ex Ordine S. Francisci contigit, qui, cum togam paupertati contrariam portaret, ad judicium vocatus, & à S. Francisco interrogatus, quis esset? respondisset, se Franciscanum esse, audivit ab eodem Sancto, se illum pro Filio & Discipulo non agnoscere; neque enim suos tales togas portare? an non iterum repetet illud Luc. 9. *Qui me erubuerit (& paupertatem meam), hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & SS. Angelorum.*

V. Secundò illi indicet, quid S. Chrysostomus in epist. I. ad Coloss. dicat: *Instruantur, inquit, mensæ duæ, una pauperibus omnis generis repleatur, discipulis altera. Illic argenti nihil, nec vini multum, sed quod tamen ad hilaritatem sufficit; hic vasa aurea &*

argentea, Ministri multi splendidi ac pretiosi, & sumptuosa fercula. In utrâ estis accubituri? in hæc vestrum, or. nor, plurimi: ego ad illam propero. Hac homines, illa Christum: Servos hac, illa Dominum habet recumbentem. Itaque sic etiam major illius, quam hujus voluptas, quanto jucundius cum Rege, quam cum famulis accumbere. In illa ego, qui que mecum eam elegerint, multa cum libertate, animique delectatione & loquemur, & audiemus omnia, vos autem in hac trementes ac timidi simul discumbentes, subvertique, manum quidem protendere audebitis, quasi ad Pedagogium, non ad prandium ingressi, & coram molestis ac servis Dominis trementes, & servorum more eadem cum Heris mensa communicantium abjectè loquemini. Duplici ergo nomine vos superamus, libertate scilicet, & honore, quibus quod ad voluptatem attinet, nihil conferendum. Ego quippe malim cum libertate, amicitia, gratia, panem & olera, quam cum servitute & inimicitia vitulum saginatum, & millo fercula. Conformiter scilicet illis Scholæ Salernitanæ verbis:

Si dat oluscula, mensa minuscula, pace repleta,

Ne pete grandia, lautaque prandia, lite referta.

VI. Tertio illi ostendat, quanto perfectius omnia, quæ horret, per paupertatem possideat; an non enim gauderet, si pro uno obulo centum aureos acciperet? quanto magis lætari debet, cum pro parvis & paucis rebus, quas reliquit, centuplum promissum habet? Si miratur divitias illius, qui multa castra & arces emere potuit, cur non magis paupertatem

tem

tem suam æstimet, quæ majora operatur? nam, ut
 S. Augustinus l. 28. sup. verba Apost. ait, Non tibi
 displiceat Paupertas tua, nihil eâ potes ditius invenire.
 Vis nôsse, quàm locuples sit? cœlum emit. Quibus tes-
 sauris conferri possit, quod pauperibus videmus in dila-
 tum? ut ad regnum cœlorum veniret dives, possessionem
 suâ obtinere non potuit; nunc obtinet, ut contentus
 perveniat. Quod ipsum confirmans S. Leo, semper
 inquit, dives est Christiana paupertas, nec pavet
 isto mundo indigentiam laborare, cui donatum est
 omnium rerum Domino omnia possidere. Hinc mē-
 tō S. Hieronymus ep. 159. exclamat: O quanta be-
 titudo, pro parvis magna, æterna pro brevibus, pro mor-
 rituris semper viventia recipere, & habere Dominum
 debitorem. Quale autem sit centuplum pauperibus
 promissum, ibidem indicat dicens: Qui carnalia pro
 Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, que compen-
 satione & merito sui ita erunt, quasi si pro parvo nu-
 mero centenarius numerus comparatur. Hec est men-
 sura coagitata, que ita meritorum copiam excedit, ut
 excessum istum nec lingua eloqui, nec mens cogitare
 sufficiat.

VII. Quartò ut minùs sentiat asperitatem imago-
 nariam paupertatis, ostendat illi, quanta jucunditas
 & quies in eâdem paupertate reperitur, de qua
 olim dixit Seneca: Quietissimè viverent homines, si
 duo tollerentur, meum ac tuum. Redige itaque te ad
 pauca, ex quibus cadere non possis; inest paupertati,
 sine qua nihil est jucundum, securitas. Et S. Grego-
 rius, magna, inquit, est securitas cordis, nihil ha-
 bere concupiscentia secularis; qui nihil habet in mundo,
 quod diligat, nihil est in mundo, quod pertimescat.
 Et

Et clarius S. Petrus Dam. *Quid est centuplum*, inquit, nisi consolationes, visitationesque & primitia spiritus, qui super mel dulcis est? nisi testimonium conscientia nostra? nisi leta & jucundissima expectatio iustorum? nisi memoria abundantia suavitatis DEI, & magna vere dulcedinis eius multitudo, quam nec expertis necesse est dicere, nec inexpertis ullis verbis exprimere quisquam potest.

VIII. Quinto proderit, etiam unum, alterumve exemplum eorum, qui paupertatem singulariter aestimant, & amant, ob oculos ponere; qualia esse possunt S. Francisci, qui paupertatem in omni sua conversatione & sermone Matrem, Sponsam, Dominam, Reginam appellabat, & cum Mendicum quendam se pauperiorem aspiceret, ita sancta quaedam invidia commoveri solebat, ac si in re magna, multumque expetenda vinci se videret. Cum ad Principum mensas invitabatur, non prius eas adibat, quam aliquot panis frustra per viciniam mendicasset, quos dein in mensa cum gaudio exponebat. Cum Guardianus quidam cellam ei ex tabulis obiter dolatis preparasset, non prius illam inhabitare voluit, quam patres, ramis, viminibusque contexti paupertatis speciem exhiberent. Abbas Isaac, cum Eum Discipuli crebro monerent, ut pro monasterio possessiones, quae offerebantur, admitteret, sollicitus paupertatis custos semper eas accipere renuit, dicere solitus: Monachus, qui in terra possessiones quaerit, Monachus non est; sic quippe metuebat paupertatis suae securitatem amittere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire, uti in spec. Ex. dist. 1. ex 35. refertur. S. Clara usque adeo paupertatem diligebat, ut

pri

privilegium paupertatis ab Innocentio IV. petenti, quâ petitione adeò delectatus est Pontifex, ut totum incredibilem voluptate manu propriâ conscripserit. Teste Plato l. 2. c. 3. S. Arsenius, cum mortui Fratris testamentum, quo hæres declarabatur, ei oblatus fuisset, illud laceravit, & dixit: Ego prius, quam Frater meus, mortuus fui; nihil ergo de relictis bonis ad me pertinet. Sanchez in regno DEI. p. 1. c. 9. f. 540.

§. II.

Tentatio II. Circa Castitatem.

IX. **N**orbertus Novitius Ordinis cujusdam Religiosi, cum vitam valde libidinofam in seculo duxisset, sicque gravem satissimam consuetudinem in luxuriam vitio contraxisset, tandem singulari DEI mirantis beneficio conversus, Religioso Ordini se commancipavit, sed ibidem ob recurrentes identidem peccatorum species, tam graves tentationes patitur, ut impossibile sibi esse credat, castitatem perpetuam servare, ideoque propemodum statuat, commisionem ab Ordine petere. Quæritur, quomodo munendus sit contra tam gravem tentationem?

Responsio.

X. Inprimis studeat illi falsam persuasionem eripere, quâ judicat, impossibilem sibi castitatis observacionem esse, eumque in finem ipsi narret, quid S. Augustino olim contigerit, qui, cum simili persuasionem deceptum animum gereret, quondam continentium cum bino Puerorum & Puellarum grege in visione objectam vidit, & ore subidente dicentem audivit: *De-*